

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXXII. De Sancta Catharina et ejus decore.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Fons,
hauritorium
aqua, aer
sunt
BB. Trini-
tatis
imagines.

Septem
ordines
Sanctorum
per quos
alter in
alterum
inluit.

intellexit designari; per hauritorium, Filii Dei increatam sapientiam, quæ se pro suo beneplacito omnibus libenter effundit, et cuique prout vult, distribuit et communicat; per dulcedinem aquæ, Sancti Spiritus ineffabilem suavitatem et bonitatem. Per aerem saluberrimum significabatur quod Deus est vita omnium; quia sicut absque aere homo non potest vivere, ita sine Deo nulla vivit creatura. In circuitu fontis, in ipso consistorio ejus, erant septem columnæ, habentes capitella ex sapphiro; per quas septem rivuli omnes Sanctos influebant, ita ut unus in Angelos, alter in Prophetas, tertius in Apostolos, quartus in Martyres, quintus in Confessores, sextus in Virgines, septimus in omnes cæteros Sanctos derivaret. Qui in omnibus bonis satiati suavissimum odorem in invicem spirabant, quem quilibet ab alio pia aviditate in se trahebat: per quod innuebatur quod Sancti gaudium suum et omnia quæ in Deo possident bona, in invicem profusa benignitate communicant.

CAPUT XXXII.

DE SANCTA CATHARINA ET EJUS DECORE.

IN festo eximiæ Virginis Catharinæ, apparuit ei ipsa Virgo in veste quæ aureis rotis tota erat repleta, habens in summitate duas manus aureas quæ ipsam vestem insimul continebant. Per quas significabatur illa felicissima Dei cum anima unio indivisa. Tunc Christi ancilla eam reverenter salutavit cum Antiphona *Ave Virgo speciosa* ¹. Post hæc dixit

1. Ant. *Ave Virgo speciosa, clarior sideribus, cujus vultum et decorem concupivit Dominus, funde preces Creatori pro tuis supplicibus.*

ad eam : « Obsecro, dic mihi quid per hoc notatur quod tibi canimus : *cujus vultum ac decorem concupivit Dominus ?* Quæ est illa facies tua quam Dominus in te concupivit ? » Quæ respondit : « Vultus meus est imago venerandæ Trinitatis, quam in me Dominus concupivit, quia nunquam eam magnis depravavi peccatis. Decor autem meus est illud eximium decus, quo Christus fideles suos sanguinis sui colore inæstimabili pulchritudine decoravit. Et scias quoties homo communicat, toties decor ille renovatur et augeatur ; ut verbigratia , qui semel tantum communicat , decorem illum in anima sua duplicavit. Qui vero centies aut millies communicaverit , toties decorem illum in anima sua superauxit. »

Vultus in Sanctis est imago SS. Trinitatis, quem concupiscit Dominus.

Cum virgo sanctam Catharinam pro quadam sibi devota exorasset, illa respondit : « Dic (sibi) ut legat mihi : *Laudate Dominum omnes gentes* , et Antiphonam : *Vox de cælis insonuit : Veni, dilecta mea, veni, intra thalamum Sponsi tui, quod postulas impetrasti, pro quibus oras salvi erunt* ; admonens me gaudii quod habui cum Christus Rex et Sponsus meus his verbis me vocavit : cum enim vox illa ad me delata fuit, tantus amor succendit cor meum, et tam ineffabili gaudio resolvebar, quod omnis horror mortis in nihilum est redactus. »

CAPUT XXXIII.

DE MINIMO SANCTO ET DE BONITATE DEI.

SABBATO quodam , dum cantaretur Sequentia : *Mane prima Sabbati*¹, in illo versu : *Ut fons summæ pietatis*,

1. Sequentia in honorem Dominicæ Resurrectionis, in cujus ultima strophæ sic ad B. Mariam Magdalenam sermo dirigitur : *Ut fons summæ*